

nem propriam in divino jure, nihil erit firmum et immutabile; nec erit major ratio, cur possit dispensari in uno magis, quam in alio, si æqualis causa intercedere videatur; ut, v. gr., in præsentī materia sacramentorum fingi etiam posset in aliqua provincia non reperiri oleum, vel balsamum (quod suppono de jure divino necessarium ad confirmationem); posset ergo Ecclesia dispensare, ut confirmatio, aut extrema unctio daretur sine oleo et balsamo. Nec sufficit distinctio de iis, quæ pertinent ad usum, vel substantiam sacramenti, quia si usus esset institutus tali modo jure divino, tam immutabilis esset, sicut substantia, quia substantia non aliam necessitatem, vel immutabilitatem habet, nisi quam secum affert jus divinum. Et ideo Ecclesia semper declaravit, non esse de jure divino, ut laici communicent sub utraque specie, quod ad usum pertinet, ut defenderet, potuisse ipsammet Ecclesiam facere, ut communicarent sub una tantum specie. Eo vel maxime, quod hæc institutio, de qua agimus, non pertinet tantum ad usum, sed ad ritum conficiendi sacramentum, et offerendi Deo sacrificium, atque adeo ad substantiam ipsius sacrificii, quæ non minus immutabilis est, quam substantia sacramentorum.

15. *Quarta conclusio.* — Dico quarto: etiam per modum interpretationis, non potest Pontifex declarare, licitum esse aliquando per se conficere unam speciem sine alia. Hæc conclusio ex præcedenti declarari potest. Primo, quia nulla potest occurrere necessitas sufficiens ad talem interpretationem, sicut neque hactenus occurrit. Secundo, quia non esset bona interpretatio, quæ ipsam institutionem divinam mutaret, et everteret; alias melius diceretur, in eo casu posse interpretari Pontificem, ut, si deficeret vinum vitis, conficeretur sanguis in vino pomorum, vel in aliquo simili liquore, quo homines talis provincie uterentur loco vini; hic enim nunquam deest. Hæc namque interpretatio videri posset accommodatio, quia sic esset integra representatio sacrificii. Sicut ergo hoc dici non potest, quia est præter ritum a Christo institutum, ita etiam neque aliud. Quocirca maxime animadvertendum est, hoc præceptum non qualecumque esse, sed continens institutionem, et modum sacrificandi præscribens, cui intrinsece annexum est, ut si fieri non potest, sicut præscriptum, potius omittatur, quam alio modo fiat, ut videre est in omnibus similibus præceptis tam novæ legis quam ve-

teris, et ideo non habet solam vim præcepti affirmativi taliter sacrificandi, sed in hoc includitur negativum, non faciendi aliter; sicut in præcepto orandi attente, includitur negativum, non orandi, si attentio adhibenda non est. Et confirmatur, quia, si hoc præceptum solum esset interpretandum per modum affirmativi præcepti, quod posset in uno tempore obligare et non in alio juxta occasiones occurrentes, sequeretur non solum publica potestate, sed etiam sola doctrina, vel scientia, posse fieri interdum talem interpretationem, præsertim si nulla in hoc facta esset prohibitio, ut quædam ex argumentis in contrarium factis consequenter loquendo probabiliter contendebant. Et posset facile aliis exemplis et rationibus ostendi. Intelligendum est ergo hoc jus divinum, tanquam instituens modum, et ritum sacrificandi Deo; sicut jus divinum de consecrandis, v. gr., sacerdotibus legis novæ, non solum continet præceptum, sed etiam instituit modum, et ritum consecrandi illos, qui vel servandus est, vel si in casu aliquo servari non potest, non propterea ritus alius introducendus est, sed potius ab hujusmodi actione est cessandum, et idem est in cæteris sacramentis; ergo et in ritu sacrificandi. Melius ergo explicatur hoc jus, ut habeat vim præcepti negativi, in quo non tam facile locum habet dicta interpretatio, præsertim in his rebus, quæ ex institutione pendunt; cum enim aliquid, quod ex se non habet aliud esse, nisi quod ab institutione accipit, divino jure instituitur, ut tali modo fiat, hoc ipso prohibetur aliter fieri; quod si modo præscripto fieri non possit, potius interpretandum est, cessandum esse ab hujusmodi actione, quam licere aliter facere, quam institutum est. Sicut, quia ritus confirmandi, vel unguendi infirmos, jure divino institutus est, ut fiat ex oleo consecrato seu benedicto, si casus occurrat, quo non possit fieri unctio oleo benedicto, sed communi, non possumus interpretari posse tunc illo modo fieri, cum nulla sit talis institutio, sed potius verissime interpretamur in hujusmodi eventu omittendam esse unctionem; sic ergo in præsentī materia dicendum est.

16. *Solutio rationum secundæ opinionis.* — Et ex his responsum fere est ad fundamenta contrariarum opinionum; exempla enim quædam, quæ afferebantur in secunda opinione ad probandum, posse Papam dispensare in jure divino, partim incerta sunt, ut est illud de matrimonio rato, partim non sunt similia,

vel non sunt proprie dispensationes in jure divino, tollendo obligationem ejus, sed versantur circa materiam ejus, illam mutando; sicut in voto jus divinum tantum est, ut, qui votum habet, illud impleat, et hoc semper manet integrum; tamen, quod ego habeam votum, non est jus divinum, sed voluntate mea factum est, et in hoc proprie dispensat Pontifex, auferendo vel mutando votum. Et idem proportionaliter est in matrimonio rato, quod, quatenus humana voluntate contrahitur, dispensari vel dissolvi potest. In aliis vero exemplis nulla omnino intercedit dispensatio, quia quando plures ordinati sacerdotes cum Episcopo consecrant, cum illo veluti componunt unum integrum ministrum unius tantum sacrificii, quod ab omnibus conficitur, ad cujus perfectionem satis est, quod sub utraque specie sumatur a ministro ejus, in una tantum persona, quia ita omnes ministrant, ut quilibet eorum per se sufficiat, et sit veluti integer minister. Et multo minus intercedit dispensatio, quando in aliquo casu negatur alicui communicatio in articulo mortis; sed tunc ægrotus excusatur ab obligatione suscipiendi, et minister Ecclesie ab obligatione dandi, propter occurrentes circumstantias; utraque enim illa obligatio nascitur ex præcepto pure affirmativo, quod non pro semper obligat.

17. *Solvuntur argumenta primæ opinionis.* — Adde denique quamvis Papa possit dispensare aliquando in præcepto aliquo divino, præcipiente solum, et obligante ad aliquem actum, non tamen posse immutare jus divinum instituens ritum sacrificandi, vel conficiendi sacramentum, præsertim substantialem et intrinsecum. Unde nec in hoc potest dispensare, nisi ubi alias constet, de ipso jure divino factam esse aliquam exceptionem, ut de ministro confirmationis suo loco dicitur. Institutio enim divina, circa ministrum sacramenti confirmationis, totum hoc continet, scilicet, ut ordinarius minister sit Episcopus, cujus loco possit substitui presbyter, quando Pontifex judicaverit expedire, cujus signum est, quod id non fit per modum dispensationis, quia, si Papa vellet substituere diaconum, non posset. Ad exempla vero, quibus prima opinio utebatur, ex sacramento confessionis desumpta, respondetur, non esse similia. Primum quidem, quia sacramentum penitentiae est majoris necessitatis, quam Eucharistiae. Deinde, quia jure divino solum formalis integritas est de necessitate sacramenti penitentiae, materialis vero solum

quatenus ad formalem necessaria est; similiter etiam satisfactio tunc solum necessaria est, quando æquitas judicii illam postulat, neque alia ratione est de illius sacramenti integritate; tunc vero omitti non potest sine aliqua culpa.

SECTIO V.

Utrum de necessitate hujus sacramenti sit ut materia consecrandi sit præsens ministro.

1. Questionem hanc prætermisit hoc loco D. Thomas, fortasse quia ex cognitione formæ pendet; tamen, quia conditionem ex parte materiae necessariam inquirat, et ejus cognitio ad sequentes quæstiones necessaria est, ideo breviter est expedienda.

2. *Prima conclusio.* — *Objectio.* — *Solutio.* — *Confirmatio.* — Primum igitur omnium certum est, in genere loquendo necessariam esse sensibilem præsentiam hujus materiae; ita docet D. Thomas in 4, dist. 11, quæst. 2, art. 1; Durand., quæst. 6, num. 6; Major, quæst. 2; Palud., quæst. 4, art. 3; Soto, d. 9, quæst. 4, art. 2; Gabr., lect. 35 in can.; Ledesm., 4, part. 4, quæst. 13, art. 2; Victoria in Sum., n. 58, et omnes Summistæ. Ratio a priori est Christi institutio, quæ, præter traditionem Ecclesie, fundatur in verbis formæ, scilicet, quia illa pronomina, *hoc*, vel, *hic*, posita in forma, ex vi suæ significationis designant rem præsentem aliquo modo sensibus; quæ ratio supponit verba hujus formæ proferri a sacerdote formaliter, et significative, et non tantum materialiter ac recitando, quod infra, q. 78, probandum est. Dices, interdum per illas voces designari rem præsentem intellectui, vel imaginationi tantum. Respondetur: quia sacramenta sunt signa sensibilia, ideo non tantum intellectui, sed etiam aliquo modo sensibus significant, ac propterea hujusmodi termini, in formis sacramentorum positi, indicant rem aliquo modo sensibilibus præsentem, ut patet in omnibus, quæ habent similes vel æquivalentes terminos, ut, Baptizate, Signo te, Per hanc sacram unctionem. Ac denique in solo matrimonio fit exceptio, quia non habet determinatam formam verborum, sed per modum cujusdam contractus perficitur, ut alias dicemus. Et confirmatur assertio posita ex usu et traditione Ecclesie, in facto Christi fundata; ille enim circa materiam sibi præsentem verba protulit, et hoc semper Ecclesia observavit. Et a posteriori tandem confirmatur, quia alias posset sacerdos conse-

crare totum panem, qui Romæ existit, quod est absurdissimum. Congruentia denique addi potest, quia oportet, ut consecratio sit humano modo certa, et ideo opus est, ut feratur in materiam certam, determinatam ac presentem.

3. *Ratio dubitandi.* — Difficultas vero est, quæ, et qualis esse debeat hæc præsentia. Et ratio dubitandi est, quia præsentia, ut nunc loquimur, dicit ordinem ad cognitionem, vel active, vel passive, sicut Deus dicitur esse præsens omnibus rebus, quia omnes intuetur, ut dicit D. Thom., 4 part., quæst. 8, art. 3; et e contrario, res dicuntur esse præsentem nobis, quia in conspectu nostro sunt; præsentia ergo sensibilis dicit ordinem ad cognitionem per sensum externum; at vero materia hujus sacramenti non requirit hujusmodi præsentiam; ergo non requirit præsentiam sensibilem. Explicatur minor, quia potest consecrari materia, quæ nullo sensu percipiatur, ut cæcus potest consecrare panem, etiamsi non tangat vel olfaciat illum. Et similiter hostia aut vinum consecrantur, vase cooperto, ubi nullo sensu percipiuntur, et idem est de una formula, quæ sub aliis existit. Aliunde vero non videtur aliqua sensibilis præsentia sufficiens, nam licet panis visu percipiatur, si tamen nimis distet, non poterit consecrari, et Soto censet distantiam ducentorum passuum nimiam esse, quia res ita distans non potest in rigore demonstrari pronomine primæ personæ, *Hoc*, sed tertiæ, *Illud*. Et eadem ratione non satis est olfactus perceptio, quæ a longa distantia provenire potest; et idem est de auditu, quamvis hic sensus vix possit præsentem materiæ accommodari; de tactu vero et gustu, non est quod dicamus, quia perceptio istorum sensuum non est simpliciter necessaria; qua ergo regula utendum erit ad definiendam hanc præsentiam? Et augetur difficultas, quia ex verbis formæ non potest certa regula præscribi, nam interdum rem satis distantem his vocibus designamus, ut, videntes a longe civitatem, dicimus, Hæc civitas est nobilissima; similiter de re in arca clausa, dici solet, Hoc est argentum; quod si hoc satis est, possemus totum panem, in aliquo cubiculo clausum, illo pronomine designare, atque adeo consecrare. Idem est de re a tergo existente, imo de re seu persona, quæ proxime antea hic aderat, jamque discessit, de qua per hos terminos in rigore loqui licet, Hic est insignis medicus, vel aliquid hujusmodi. Sufficientne ergo omnes istiusmodi

præsentia ad consecrationem, quibusve terminis claudenda est hæc præsentia? Hinc enim oriuntur illæ curiosæ quæstiones, an possit panis a tergo existens consecrari, an inclusus in arca vel cubiculo, an visus a longe, et similes, quæ non facile possunt una regula comprehendere, quia res est moralis et incerta. Ut autem aliquo modo comprehendatur,

4. Advertendum primo est, pronomen, *hoc*, simpliciter et substantive dictum, ex vi suæ significationis majorem præsentiam requirere, quam cum alteri rei adjungitur; hoc constat ex usu et communi modo concipiendi, et in adductis exemplis id facile videre licet; et ratio adjungi potest, quia cum hoc pronomen adjective ponitur, per substantivum definitur ad illam rem indicandam, et hoc ipso non requirit aliam præsentiam, quam illa res habeat. At vero quando simpliciter et substantive dicitur, *hoc*, vel *hic*, est valde indifferens, et suspensa significatio, et ideo oportet, ut per ipsam rei præsentiam definiatur, et ut quasi nutibus, vel signis ostendatur res, ad quam locutio dirigitur; et ideo in hoc genere loquendi, major præsentia requiritur, quam in alio; et ita fit in hoc sacramento, in cujus forma pronomen, *hoc*, simpliciter et substantive prolatum materiam designat. Secundo oportet advertere, interdum per hujusmodi pronomina designari rem absentem aut distantem, potius ex discursu intelligentis, et antecedentibus et consequentibus, quam ex vi verborum, quæ designatio dici potest fieri potius ad intellectum, quam ad sensum, ut patet in exemplis supra positis; et signum hujus rei esse potest, quod de hujusmodi rebus proprius et exactius loqueremur per pronomina quæ non indicant præsentiam, ut in exemplo posito de civitate a longe visa proprie dicitur: Illa est civitas, ad quam tendimus, vel quid simile. Interdum vero designatio fit per quamdam metaphoram; ut quando, demonstrando domum, loquimur de habitatore, dicendo, v. gr., hunc hominem esse nobilissimum, ubi propria designatio faciendæ esset per terminos absentia potius, quam præsentia. In hac ergo materia observandum est, ut proprietatem formæ servari possit in omni rigore; et quoniam materia est valde moralis et mutabilis, et ideo sæpe incerta et ambigua, plurimum est observandus Ecclesie usus, servata verborum proprietate, quam signum hoc requirit, præsertim in forma practica et operativa, quæ majorem præsentiam materiæ postulat.

5. *Prima conditio.* — Prima ergo conditio

hujus præsentia esse videtur, ut materia sit aliquo modo coram homine et non omnino a tergo; ita sentit D. Thom. supra, et sequuntur Palud., Soto, Victoria et Ledesma, ac fere alii, uno excepto Majore. Et primo hæc sententia est consentanea usui Ecclesie. Secundo facit proprietatem verbi, quia res, quæ nullo modo est coram homine, non potest commode et proprie designari pronomine, *hoc*, præsertim simpliciter et substantive prolato, ut constat ex communi modo concipiendi omnium; nam, si quis interdum aliter loquitur, vel improprie loqui censetur, vel non ex vi solius vocis, sed ex antecedentibus et consequentibus ad rem talem sermonem dirigit. Dixi autem, ut aliquo modo sit coram homine, quia, licet non sit coram facie, si tamen digito, vel alio simili signo indicetur, videtur per illud fieri sufficienter præsens, et satis proprie designari pronomine, *hoc*, quia aliquo modo jam res illa est coram homine, quia homo ad illam ex parte se convertit; quanquam res hæc, ut minimum, sit valde dubia, quia designatio tunc non videtur fieri ex vi solius vocis, sed ratione alterius signi conjuncti; unde graviter peccaret, qui contra usum Ecclesie hoc modo consecrare auderet, et se exponeret periculo nihil faciendi.

6. *Secunda conditio.* — Secunda conditio est, ut non sit nimis distans, etiam si oculis videri possit. Hanc ponunt fere omnes auctores, et præsertim explicat Durandus. Primo, quia res valde distans proprius designatur pronomine, *illud*, quam, *hoc*. Secundo, quia illa præsentia magis est speculativa in ordine ad cognitionem, quam practica et in ordine ad operationem, qualis hic requiritur.

7. *Dubium.* — *Solvitur.* — Sed quæres primo quantum oporteat esse hanc propinquitatem. Quidam aiunt necessarium esse, ut manibus teneatur, quia ita videtur Christus fecisse. Aliis, quibus Paludanus consentire videtur, licet actualem tactum non exigant, dicunt tamen debere materiam esse ita propinquam, ut tangi possit. Alii, ut Viguerius, dicunt necesse esse, ut verba formæ possint revera pervenire usque ad materiam et illam contingere. Sed hæc frivola sunt. Et imprimis certum est ex usu Ecclesie non esse necessarium, ut materia actu tangatur, seu in manibus habeatur. Consecramus enim formulas super altare existentes, quamvis in manibus non habeamus. Item verba formæ hoc non requirunt, nec refert, quod Christus ad consecrandum accepit panem in sanctas ac vene-

rabiles manus suas, ut dicitur in canone Missæ et colligitur ex Evangeliiis, quia non oportet, ut omnes circumstantiæ, quæ in facto Christi acciderunt, sint essentielles, vel simpliciter necessariae, ut per se constat; imo nec satis certum est, eo tempore, quo Christus protulit verba consecrationis, habuisse panem in manibus. Potuit enim prius accipere, et frangere, et postea in mensa coram discipulis ponere, dicens: *Accipite et comedite*, ac postea verba consecrationis proferre. Itaque, licet contrarium forte probabilius sit, non tamen propterea esset ad consecrandum necessarium, cum veritas materiæ, aut formæ id non requiratur. Et eadem ratione non est necessarium materiam esse ita propinquam, ut a ministro tangi possit, cum neque ex significatione formæ, neque ex alia probabili ratione id colligi valeat. Denique necesse non est, ut sonus perveniat, aut pervenire possit ad materiam. Primo, quia neque ex vi significationis verborum hoc est necessarium, ut constat; neque ob sacramentalem efficientiam, ut ex doctrina de sacramentis in genere suppono. Secundo, quia ex usu Ecclesie constat contrarium; alias si calix coopertus, vel forma sub aliis existens consecraretur, vel si sacerdos submisso loqueretur, et materia aliquantulum, v. gr., per duos passus distaret, nihil fieret, quæ plane sunt absurda. Quocirca nulla certa regula præscribi potest, qua hæc propinquitas necessaria definiatur; unde Durandus, Paludanus, et alii dicunt, solum Christum, qui hoc sacramentum instituit, posse hujus præsentia certum terminum designare; a nobis vero moraliter dijudicandum esse. Et ideo in praxi observandum est, ut pars secunda et certa semper eligatur, ita ut dubitari non possit, quin veritas et proprietatem formæ retineatur, quod maxime fiet, usum Ecclesie servando.

8. *Dubium secundum.* — *Enodatur.* — Secundo quæret aliquis, utrum oporteat totam distantiam, quæ inter materiam et ministrum esse potest, esse oculis perviam, ita ut nullam corpus opacum interjectum sit. Et ratio dubitandi pro utraque parte supra tacta est. Unde vix potest etiam in hoc certa regula assignari, sed relinquendum est prudentis arbitrio, et diligenter cavendum, ut proprietatem et veritas formæ servetur. Nam revera non est simpliciter necessarium, ut tota distantia oculis pateat, quia non videtur dubium, quin panis vel vinum, velo lineo coopertum, consecrari possit, quia hoc non tollit humanam

præsentiam, et propriissime potest per illam vocem, *hoc*, designari, servata ejus proprietate et significatione. Nihilominus tamen existimo, consecrari non posse panem post parietem existentem, ut omnes auctores docent, quia revera est humano modo absens; quapropter considerandum videtur, an corpus illud, quod interponitur, solum sit veluti proximum continens seu cooperiens materiam, quia tunc non videtur tollere sufficientem præsentiam, quia totum illud per modum unius designatur; secus vero est, si absque ulla hujusmodi habitudine interponatur; tunc enim propriam præsentiam excludit.

9. *Dubium tertium. — Satisfit dubio. —* Tertio quæri potest, an sufficiat, rem esse præsentem per aliquam partem sui, ut tota possit consecrari. Videtur enim hoc sufficere, cum talis res possit proprie pronome, *hoc*, designari. In contrarium vero est, quia, hoc admissio, potest aliquis simul consecrare infinitam (ut ita dicam) panis vel vini multitudinem, dummodo per superficiem, vel partem aliquam haberet illam præsentem, eo modo, quo est præsens mare, quando ex littore videtur. Respondetur, in universum, seu physice loquendo, hoc non satis esse, quia proprie et in rigore non est mihi præsens totus aer, qui est usque ad cælum, nec tota aqua maris, etiamsi aliquam ejus partem videam, quia licet in se corpus illud continuum sit, tamen in ordine ad humanam præsentiam id nihil refert. Unde tota illa pars, quæ eminus distat, ita est absens, ac si esset res per se separata. Oportet ergo, ut tota materia, secundum omnes partes consecrabiles, sit aliquo modo practicæ et moraliter præsens. Unde fit, esse valde probabile hanc distantiam vel præsentiam non esse æqualem in omni materia, sed debere esse juxta proportionem et quantitatem magnitudinis ejus. Et ideo difficile semper est certos terminos illius designare; sed ad rem moralem non multum refert, quia nunquam res ad has angustias redigitur, sed major est semper præsentia, quam in rigore necessaria sit.

SECTIO VI.

Utrum oporteat materiam consecrandam esse certam et definitam.

1. Quæstio intelligitur de materia certa in individuo et particulari; hæc autem certitudo seu definitio materiæ ex intentione conse-

crantis sumenda est; cum enim materia sit panis et vinum, absolute explicare oportet, an necesse sit, consecrationem ex intentione ministri definiri ad hunc panem, et hoc vinum, in quo refertur opinio Majoris, d. 11, quæst. 2, negantis, necessariam esse definitam materiam. Sed neque est opinio ejus, neque alicujus potest esse.

2. *Conclusio. —* Dicendum est ergo, ut consecratio fiat, necesse esse materiam in particulari definiri per intentionem consecrantis. Ita docent Doctores omnes citati et citandi. Ratio est, quia actiones circa particularia versantur. Unde, nisi in particulari definiatur materia, nihil est, quod consecrari possit. Confirmatur, quia intentio operantis debet esse practica et operativa; non erit autem hujusmodi, nisi versetur circa determinatam materiam. Confirmatur secundo, quia alias forma non significabit effectum, quia non demonstrabit materiam, quæ consecratur. Tandem in aliis sacramentis, quæ consistunt in usu, quia circa subjectum sanctificandum versantur, necesse est subjectum esse certum et definitum. Nam si quis intendat baptizare hominem, et non hunc hominem, nihil facit; ergo similiter, etc.

3. *Corollarium ex conclusione deductum. — Objectio. — Solutio. —* Et hinc sequitur primo, si quis habeat præsentem octo hostias, et intendat consecrare sex tantum, non determinando illas, sed in confuso, nihil efficere, probatur, quia materia illa non est definita. Item, ille non consecravit omnes, quia hoc non intendit; neque has potius, quam illas, quia non est major ratio: ergo. Et ita docuit Major supra, et Durand., d. 11, quæst. 7; Richard., d. 10, art. 7, quæst. 2, et omnes. Dices: posset minister remittere suam intentionem in intentionem Dei; unde ex voluntate divina, consecraret potius tunc has, quam illas; sic enim possum offerre sacrificium pro una anima purgatorii, non determinando illam, sed voluntatem remittendo in electionem divinam. Et confirmatur primo, quia hoc modo potest minister remittere suam intentionem in intentionem alterius hominis; ut si intendat consecrare, ex illis octo, sex, quas Petrus definierit; ergo similiter. Confirmatur secundo, quia, si in sacramento poenitentiae sacerdos intendat absolvere, non ab omnibus peccatis, præsertim venialibus, sed a duobus tantum, quamvis illa in particulari non determinet, sacramentum tenebit. Respondetur ad argumentum, illum modum intentionis non

esse accommodatum hominibus. Oporteret enim expectare divinam revelationem, ut constaret, quæ materia esset consecrata; et ideo illa intentio est impertinens et insufficientis. Neque est simile illud de sacrificio, tum quia in eo opere Deus est, qui immediate operatur et remittit pœnas; et ideo optime in ejus voluntatem remittitur, ut id faciat, prout voverit; at vero in præsentem, minister est, qui proxime operatur suis verbis; et ideo oportet, ut ipse sua intentione definiat materiam; tum etiam quia ille effectus est mere spiritalis, quem non oportet esse notum hominibus, hic autem est constitutio sensibilis sacramenti ordinati ad usum hominum. Unde ad primam confirmationem respondetur, si intentio referatur in futuram determinationem alterius, nihil fieri, quia effectus sacramenti non potest esse pendens; si vero referatur in voluntatem, seu determinationem alterius factam, vel faciendam, prius quam verba proferantur, si adhuc illa sit ignota ministro, præter grave peccatum, existimo nihil fieri; quia, si determinatio alterius sit occulta, non potest intentio ministri, nec significatio verborum, prout ab illo proferuntur, ad certum aliquid referri; et ita nihil poterit designari pronome, *hoc*; si autem illi nota est alterius voluntas, et illi conformatur, jam habet intentionem satis definitam. Ad aliam confirmationem respondetur, illam intentionem absolutam non versari circa sacramentum, sed circa effectum. Unde si intendit conferre huic sacramentum poenitentiae, illud necessarium est et sufficit, ut sacramentum teneat. Et hoc posito, quamvis ipse velit remittere tantum duo peccata venialia, sacramentum remittet omnia, si subjectum sit dispositum, quia, ut alias dixi, intentio ministri non potest impedire effectum, si alias habeat intentionem efficiendi sacramentum. At vero in præsentem deficit intentio necessaria circa sacramentum ipsum, quod per consecrationem materiæ efficitur.

4. *Objectio. — Quid sit dicendum de præsentia materiæ calicis. —* Sed objiciet rursus aliquis. Ergo si sacerdos consecraret, cogitans tantum se habere unam hostiam, et post consecrationem inveniat duas, nihil efficit, quia nec ambæ erunt consecratæ, quia hoc non intendebat; neque una, quia non est major ratio de una, quam de alia. Respondetur, utramque esse consecratam; quia, ut dixi in materia de sacramentis in genere, illa est privata deceptio, quæ non tollit inten-

tionem debitam, quæ esse debet, et moraliter est circa hanc materiam præsentem, prout in re proponitur; secus esset, si præcise vellet minister consecrare hostiam, quam oculis videt; sed hoc nec fit, nec fieri debet. Ita docent auctores paulo antea citati, et Sylvester, Euchar., 2, quæst. 6, qui etiam addunt, si e contrario minister deferat ad altare plures hostias consecrandas, et postea in actuali consecratione tantum recordetur ejus, quam habet in manibus, omnes nihilominus manere consecratas, quia sufficit intentio virtualis, quod etiam docuit Angelus, verb. Eucharist., num. 27, et Navar., c. 25, num. 91. Quod moraliter, et regulariter intelligendum existimo, dummodo omnes illæ hostiæ habeant illam præsentiam, quam juxta morem Ecclesiæ et debitam intentionem ministri habere debent. Hæc autem esse videtur, ut sint super altare sacrificii, id est, super aram; unde si juxta illam relinquuntur, et prorsus oblivioni tradantur, regulariter non existimarem esse consecratas, et ut minimum, esset res valde dubia. Et hinc judicium ferri debet de intentione habenda circa materiam calicis. Nam sacerdos intendere debet consecrare illud, quod per modum unius continui intra calicem existit, unde si aliquæ sint guttæ, vel extra calicem, vel etiam intra, separatæ tamen a toto vino, verisimilius est non manere consecratas, juxta usitatam ac debitam intentionem ministrorum. Quod tamen multo certius est de tota materia, quæ extra calicem reperta fuerit.

5. Secundo colligunt auctores omnes, si sacerdos confuse intendat consecrare dimidiam partem hostiæ, non signando quam earum, nihil efficere. Et idem est, si intendat consecrare omnes partes pares, aut impares, quia in his omnibus casibus non determinat materiam; secus vero erit, si determinate velit consecrare hanc partem hostiæ et non illam. Nam, licet graviter peccet, hoc modo consecrando; est enim illa gravis irreverentia, quia vix poterit postea separari pars consecrata a non consecrata; nihilominus tamen consecratio valida est, quia illa materia certa est et definita, et revera est panis, et continuatio cum aliis partibus non impedit essentialiter; sicut etiam post consecrationem potest vinum non consecratum consecrato misceri, et non propterea tolletur consecratio. Et in hoc conveniunt omnes auctores supra citati, Durand., Paludan., Major, Richard., dist. 11; Angel., Euchar., 1, num. 26; Sylvest., verb.